Quid, quando poteſtas eſt ordinaria, & eſt dubium, an poſſit in eo voto diſpenſare, vel dubitat vouens, an votum rei reſeruatæ, vel potiùs non reſeruatæ, emiſerit? n. 3. Et ibi quid, ſi ſit certitudo de voto, & dubitetur, an ſit reſeruatum?

Quid, ſi poteſtas ſit delegata, & dubitatur, an ea extendatur ad illum caſum, aut dubitetur, an ſit reſeruatus? n. 4.

Quid, ſi in hoc euentu ſit dubium, quale votum ſubditus emiſerit? num. 5.

An, ſi dubitetur, an legitima cauſa ad diſpenſationem concurrerit, an diſpenſante ſuperiore ſubditus ſit tutus? n. 6.

An peccet tunc ſuperior diſpenſans? Remiſſiuè, n. 7.

An ſi dubitatur, num diſpenſatio extendatur ad illum caſum, præſumatur extendi? n. 8.

Quid, ſi dubitatur de valore diſpenſationis, eò quòd dubitetur, an impetrans tacuerit verum, aut falſum expreſſerit; aut an veritas tacita, vel falſitas expreſſa ſit finalis, ac proinde vitiet diſpenſationem? n. 9.

Quid, ſi in omnibus his caſibus conſtet poſtea veritas? n. 10.

1 DUbium hoc diuerſis ex cauſis oriri poteſt. Prima eſt, quòd dubium ſit, an ſuperior ille diſpenſaturus ſit legitimus. Et tunc *Metina tractatu de pœnitentia, quæſtione de diſpenſatione ſuper confeſſione reuelanda ad finem*, generaliter tradit in dubio de diſpenſationis poteſtate, peccare diſpenſantem, & eum, cum quo diſpenſatur, ſi diſpenſatione ea utatur. Quòd uterque peccandi periculo ſe exponat.

2 Sed hæc ſententia ita generaliter dicta diſplicet. Sed ſic diſtinguendum eſt. Si ſuperior ille ſit in poſſeſſione ſuperioritatis, dubitetur autem, an ſit legitimus, non poteſt ea ſpoliari, donec conſtet non ſola opinione, ſed ſcientia moraliter certa defectus legitimæ ſuperioritatis. Ut latè probaui *cap. 32. num.* 4. Et ideò tutus erit is, cum quo diſpenſatur. Atque ipſe diſpenſans tutè quoque poteſt ſuo munere fungi, quando ſufficienti appoſita diligentia non poteſt id dubium vinci: imò dum ea apponitur, poteſt petentibus ſubditis eo munere fungi. Sicut conjux dubius de matrimonii valore licitè reddit, imò tenetur, dum apponitur diligentia ad aſſequendam veritatem; atque ea appoſita ſi nequit vinci dubium, licitè omninò utitur matrimonio. Ut probaui *libro ſecundo, de matrimonio, diſputatione* 41. *numero* 47. Si verò nullam nactus ſit poſſeſſionem, non poterit. Quia ſola ſuffragatur in hoc dubio. Dixi autem petentibus ſubditis poſſe, dum apponitur diligentia. Quia tunc eſt quaſi reddere: actus enim voluntarios ſuperioritatis nequiret exercere: id enim eſt quaſi petere. Quare ſi dubitetur, an is, cum quo eſt diſpenſandum, ſit ſubditus, ratione domicilii, aut quaſi domicilii acquiſiti in ea diœceſi, neceſſarii ad ſubjectionem requiſitam ad poteſtatem diſpenſandi cum eo, nequibit Prælatus cum illo diſpenſare. Quia non habet poſſeſſionem ſuperioritatis in illum, ſed eam habet Prælatus veri domicilii.

3 Secunda cauſa eſt, eò quòd dubitetur, an poteſtas diſpenſantis extendatur ad illud votum. Et tunc quando poteſtas eſt ordinaria, poteſt eſſe dubium juris, aut facti, aut utriusque. Dubium juris erit, quando conſtat de voto emiſſo, at dubium eſt propter opinionum diuerſitatem, an id ſi reſeruatum. Et in hoc caſu poteſt diſpenſare. Quia tunc non cenſetur votum reſeruatum. Ut probaui *cap.* 40. *numer.* 26. Aut eſt dubium facti, quia vouens ſciens ſe peregrinationem vouiſſe dubitat, an ea fuerit Compoſtellana, & ſic reſeruata. Similiter certus eſt ſe aliquid ad caſtitatem pertinens vouiſſe, dubitat tamen an abſolutam caſtitatem vouerit, cujus votum eſt reſeruatum, an ſolam partialem, cujus votum non eſt reſeruatum. Et in hoc dubio ſic diſtinguendum apparet prima facie. Si ſit aliqua poſſeſſio pro voto reſeruato, non poterit inferior Pontifice diſpenſare: ſecùs ſi nulla ſit poſſeſſio pro voto. Exemplum prioris partis ſit, ſi ille certus ſit ſe vouiſſe caſtitatem; aut verba voti, quæ certus eſt ſe protuliſſe, ſunt caſtitatis, dubitat tamen, an intenderit omnimodam caſtitatem, tunc enim poſſeſſio eſt pro voto plenæ caſtitatis. Exemplum poſterioris partis, quando ille non meminit verborum: tunc enim poſſeſſio eſt pro voluntate, ut in hoc dubio intelligatur ad id quod, minus eſt, ligata: & ideò præſumitur non emiſſum votum reſeruatum. At re benè inſpecta dicendum eſt, in neutro caſu votum eſſe reſeruatum: & à fortiori, quando eſt dubium juris, & facti. Quia *c.* 40. *num.* 26. eam regulam tradidimus, ut in dubio quamuis non ſufficienti ad vitandam voti obligationem, numquam cenſeatur votum reſeruatum. Et ideò quando ſtat poſſeſſio pro illo voto caſtitatis, juxta tenorem verborum, licèt ea poſſeſſio ſufficiat ad judicandam plenam caſtitatis obligationem, non ſufficit tamen, ut votum judicetur reſeruatum.

4 Si autem poteſtas ſit delegata, poteſt eſſe dupliciter dubium juris, priori modo, ex parte ejus poteſtatis, quia eſt limitata, & dubitatur, an ad id votum extendatur: & tunc præſumitur extendi, & ſic poterit diſpenſari. Quia cum poteſtas diſpenſandi ſit fauorabilis, & latè interpretanda: ut latiſſimè probaui *l.* 8. *de matr. diſp.* 2. *n.* 1. quoties dubium eſt, an hæc poteſtas extendatur, ut virtute illius poſſit in aliquo caſu diſpenſari, cenſenda eſt extendi ad illum. Ut optimè tradunt *Decius c. At ſi clerici §. de adulteriis, in noua edit. limitatione* 2. *num.* 96. *de judiciis, & ibi Hippolytus n.* 9. *Stunica de voto q.* 6. *num.* 57.

5 Poſteriori modo poteſt eſſe dubium juris aut factis, aut utriusque ſimul, eo modo, quo *n.* 3. diximus poſſe hæc dubia accidere reſpectu poteſtatis ordinariæ. Et tunc eſt idem dicendum, quod diximus *eo n.* 3. de poteſtate ordinaria. Quia militat eadem ratio, nempe, votum reſeruatum non eſſe certum; ac proinde non reputari reſeruatum. Atq; idem dicerem, etſi ſimul concurreret dubium juris explicatum *n. præced.* propter rationem *ibi* traditam.

6 Tertia cauſa hujus dubii poteſt oriri, eò quòd dubitatur, an ſit legitima diſpenſandi cauſa. Et tunc ſi Prælatus propoſita ei verè cauſa à ſubdito diſpenſet, tutus erit ſubditus utendo diſpenſatione. An verò Prælatus in dubio legitimæ cauſæ poſſit tutò diſpenſare, dicemus *capit. ſequent.* Quia in hoc dubio ſtandum eſt ſuperioris judicio. Ut optimè tradunt *D. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 2. *D. Anton.* 2. *p. tit.* 11. *c.* 2. *§.* 9. *notabili* 3. *Sylv. verb. Votum* 4. *q.* 6. *Tabiena verb. Diſpenſatio, q.* 10. *n.* 12. *Aragon.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 2. *Suarez tomo* 1. *de relig. lib.* 2. *de diebus feſtis c.* 33. *n.* 3. *& tomo* 2. *tractatu de voto, l.* 6. *c.* 17. *n.* 6. *&* 20. *& tomo* 5. *in* 3. *p. diſputa.* 41. *ſect.* 3. *in fine, Sayro in claui regia, l.* 6. *c.* 12. *n.* 25. *verſic. Quæ omnia, in fine, Emmanuel Sà in ſumma, verbo Votum, ubi de voti irritat. num.* 20. Idque non obſcurè ſignificat *Sotus* 4. *d.* 21. *qu.* 2. *art.* 2. *col. antepenult.* ubi dicens diſpenſationem voti à Pontifice conceſſam abſque cauſa, eſſe irritam, ſubjungit, ſi manifeſtus error non interueniat, præſumi cauſam juſtam. Et *lib.* 7. *de juſt. q.* 4. *art.* 3. *ad* 2. *in fine*, ubi ait diſpenſationem in voto eſſe irritam, quando manifeſtè conſtat nullam eſſe cauſam. Quare dum quidam Doctores, quos retuli *l.* 8. *de matr. diſp.* 17. *n.* 14. dicunt non præſumi cauſam in principe diſpenſante in jure diuino naturali, cujus obligatio eſt voti, intelligendi ſunt in foro externo. Et dum alii citati *eadem diſput. n.* 15. docent non credi Prælato dicenti ſe ex juſta cauſa diſpenſare, dum in lege ſuperioris diſpenſat, intelliguntur etiam in foro externo. Atque hanc doctrinam credo veram, non ſolùm quando diſpenſat ipſe Prælatus, ſed etiam quando alius ex ipſius commiſſione, aut priuilegio. Quia in eo actu fungitur ſuperioris vice.

7 Sed an prælatus ipſe peccet, dum diſpenſat in dubio, an cauſa ſit ſufficiens? Dicemus *c. ſeq. n.* 10.

8 Quarta cauſa eſt, quando dubium oritur ex parte ipſius diſpenſationis. Et tunc poteſt oriri dubium, aut quia dubitatur an illa extendatur ad hunc caſum. V. gr. diſpenſatum eſt à legitimo ſuperiore in voto caſtitatis, at ex diſpenſationis tenore dubium eſt, an ſit abſoluta, & omnimoda diſpenſatio, ita ut vouens liberetur omnino voto: an ſolùm ſit ad effectum illius matrimonii ineundi: & in hoc dubio cenſendum eſt eam diſpenſationem non eſſe totalem. Quia licèt poteſtas diſpenſandi ſit fauorabilis, & extendenda ad caſum dubium; ut diximus *n.* 4. At quia diſpenſatio eſt odioſa, & reſtringenda. Ut probaui *l.* 8. *de matr. diſp.* 1. *à n.* 3. non extenditur ad cauſum dubium. Atque ita docent *Decius, Hippolytus, & Stunica* relati *n.* 4.

9 Aut poteſt dubium id conſurgere ex eo, quòd dubitat impetrans diſpenſationem, an tacuerit verum, aut falſum expreſſerit. Et tunc cum delictum non præſumatur, *l. Meritò ff. pro ſocio*, præſumptio erit, ut non deliquerit, & ſic pro diſpenſationis valore. Aut eſt certus ſe verum tacuiſſe, aut falſum expreſſiſſe: dubium tamen eſt attentis omnibus circumſtantiis, an ea cauſa tacita, vel falsò expreſſa ſit finalis, ita ut veritate non tacita, & cauſa vera expreſſa, non concederetur diſpenſatio, ac proinde diſpenſatio ſit irrita: an potiùs tantùm ſit impulſiua, nempe, quia aliàs concederetur diſpenſatio, & ſic illa non vitietur. Atque in hoc dubio res eſt valde controuerſa. Multi affirmant præſumi finalem, & ſic corruere diſpenſationem. Quos retuli *lib.* 8. *de matr. diſp.* 21. *n.* 20. At *ibid.* cum multis aliis ſuſtinui præſumi cauſam impulſiuam, & ſic valere diſpenſationem. Atque idem probaui *ea diſp.* 21. *n.* 25.

10 Tandem ſi quæras, an diſpenſatio in omnibus prædictis dubiis conceſſa corruat detecta poſtea veritate in contrarium? Sic diſtinguendum eſt. Si dubium erat de ſola ſuperioris poteſtate, an ille eſſet legitimus, necne, ſi reuera habuit ille titulum, etſi inualidum ratione alicujus vitii occulti, & ideò communiter exiſtimabatur legitimus ſuperior, valebit utique diſpenſatio conceſſa, quamuis poſtea detegatur non eſſe legitimum Superiorem. Si verò detegatur eam caruiſſe titulo collato à legitimo Superiore, non valebit diſpenſatio. Ratio eſt, quia in priori caſu valent geſta, ſiue ille ſit ordinarius, ſiue delegatus, ſiue geſta pertineant ad forum externum, ſiue ad internum per *l. Barbarius ff. de officio prætoris*. Secus autem in poſteriori caſu. Sicut utrumq; latiſſimè probaui *l.* 3. *de matr. tota diſp.* 22. Si autem ex aliis cauſis ortum ſit dubium, ut quia dubitatur, an poteſtas illius delegati extendatur ad hunc caſum, aut an id votum ſit reſeruatum, aut an cauſa fuerit ſufficiens, exiſtimo diſpenſationem tunc bona fide conceſſam non corruere, detecta poſtea veritate in contrarium. Quia cum in iis dubiis poteſtas diſpenſandi ſit legitimè conceſſa, ſuperior legitimè ea uſus eſt. Ergo valor actus non pendet ex futuro euentu. Item quia cum in hoc dubio caſus non ſit reſeruatus, potuit Superior ille diſpenſare, nec diſpenſatio conditionalis tunc cenſetur conceſſa, ſed abſoluta. Ergo à nullo futuro euentu pendet. Tandem, quia recta Eccleſiæ adminiſtratio hoc petit; nec enim aliter vitarentur innumeri ſcrupuli, qui aliàs ſuboriri poſſent. Ergo hoc modo cenſetur conceſſa poteſtas Prælatis, & ipſorum delegatis. Demum ſi dubium fuit ratione veritatis tacitæ, aut falſæ cauſæ expreſſæ,

aut an illa fuerit finalis, juxta dicta *n.* 9. corruet diſpenſatio, detecta veritate in contrarium. Quia hoc non pertinet ſuperioris poteſtatem, quæ in bonum Eccleſiæ eſt latè interpretanda: ſed ad ſolam ejus veritatem voluntatis reducitur: quæ eſt tantùm diſpenſare juxta propoſitam ſibi veritatem.

CAPUT XLV.

De neceſſitate cauſæ ad diſpenſationem petitæ, Et quales debeant eſſe cauſæ?

SUMMARIUM.

Quot quæſtiones diſputandæ ſint? n. 1.

An ad valorem diſpenſationis in voto exigatur cauſa? Refertur quædam ſententia, n. 2.

Explicatur ſententia Auctoris, n. 3.

An, ſi tunc admiſceatur diſpenſatio commutationi, & deſit cauſa diſpenſandi, corruat etiam commutatio: etſi adſit aliqua diſpenſandi cauſa, ſed non ſufficiens, corruat tota diſpenſatio? Remiſſiuè, num. 4.

An, ſi Prælatus temerè diſpenſet in voto aut in alia ſuperioris lege, abſque prauia cauſæ cognitione; at re vera eſt cauſa legitima, valeat diſpenſatio? Refertur opinio, n. 5.

Explicatur ſententia Auctoris, n. 6.

Quid, ſi ille ſit delegatus ad diſpenſandum in voto? n. 7.

Quid in diſpenſationibus, quas Pontifex committit ordinariis, aut ſacra pœnitentiaria confeſſoribus? n. 8.

Quid, ſi notoria eſſet cauſa: aut certò conſtaret diſpenſanti? Et idem de precum veritate, an tunc valeret diſpenſatio abſque cauſa, aut precum examine, nec peccaret diſpenſans? n. 9.

An ut ſuperior licitè diſpenſet, exigatur cauſam eſſe manifeſtè juſtam: an potius ſatis ſit eam eſſe dubiam? n. 10.

An ſubditus dubitans de juſtitia cauſæ, ſit tutus ſuperiore diſpenſante? Remiſſiuè, n. 11.

Satisfit argumentis, n. 12.

Poſt n. 12. *inuenies alia ſummaria, quæ deficiunt.*

1 DUplex petitur quæſtio diſputanda. Prior de neceſſitate cauſæ ad diſpenſationis valorem. Poſterior de ipſis cauſis, quales ſint.

2 Quæſtio prior. An diſpenſationis valor juſtam cauſam exigat. Quidam, quos tacito nomine refert *D. Tho.* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 2. *ad* 2. in ea fuere ſententia, ut integrum ſit Prælatis ad libitum diſpenſare in votis ſubditorum, ſicut eſt irritare habentibus poteſtatem dominatiuam. Ducuntur, quòd in omni voto intelligatur tacitè conditio, *ſi Prælato placuerit, aut niſi ipſe contradixerit.* Secundò, quia ſicut poteſtas diſpenſandi non datur prælatis ad deſtructionem, ſed ad ædificationem, ita ſimiliter prælatis regularibus conceſſa eſt poteſtas dominatiua ad irritanda regularium ſibi ſubditorum vota. Ergo ſicut valet irritatio abſque cauſa, ita & diſpenſatio. Tandem quia factum ſubditi nequit ſuperioris auctoritati derogare. Ergo quodcumque votum fit ſalua ſuperioris auctoritate: & ita poterit ad libitum in eo diſpenſare.

3 At certiſſimum eſt, diſpenſationem in voto, & juramento, & quocumque alio præcepto obligante ex jure diuino, conceſſam abſque legitima cauſa, eſſe irritam. Quia tunc diſpenſantur in alienis bonis, & in aliena voluntate ſuperiori, atque adeò Prælatus diſpenſans non id inſtar domini efficit, ſed inſtar miniſtri, & œconomi. Ergo indiget juſta cauſa, ut validè diſpenſet. Secundò, quia excedit fines ſuæ commiſſionis diſpenſans ad libitum, neque enim credendum eſt, Deum, qui ejus obligationis creditor eſt, conſentire iniquæ illi remiſſioni per diſpenſationem factæ, ac ſuas vices ad illam commiſiſſe prælatis. Et confirmatur, quia diſpenſatio abſque cauſa non eſt diſpenſatio, ſed diſſipatio. Ut teſtatur *D. Bern. l.* 3. *d. conſideratione ad Eugenium cap.* 23. Atque ita fatentur uniuerſi Theologi in 4. *d.* 38. *cum D. Th.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 2. & omnes Doctores juris Pontificii *cum Gloſſa capit. Non eſt, verb. Adimplere de voto.* Atque ſimiliter partialis diſpenſatio admixta commutationi in minus exigit quoque cauſam. Ut dicam *n.* 16. 22. *&* 23.

4 An verò ſi tunc ea partialis diſpenſatio careat cauſa, corruat etiam partialis commutatio: vel ſi adſit aliqua cauſa diſpenſandi, ſed non omnino ſufficiens, corruat tota diſpenſatio? Dicemus *c.* 51. *à n.* 7. *uſque ad* 19.

5 Quòd ſi Prælatus diſpenſet in voto, nulla cauſæ cognitione præmiſſa, at re vera erat legitima diſpenſandi cauſa, quibuſdam placet loquentibus generaliter de diſpenſatione inferioris in lege ſuperioris, diſpenſationem eſſe irritam. Hujus ſententiæ Auctores, & fundamenta retuli *l.* 8. *de matr. diſputat.* 17. *num.* 10. & tenet *Suarez tomo* 2. *de relig. tract. de voto l.* 6. *c.* 27. *num.* 7.

6 Sed ut probabiliùs *ibi* tenui, quamuis Prælatus teneatur juſtæ cauſæ cognitionem præmittere, & peccet mortaliter, ſi juſtæ cauſæ ignarus diſpenſet tamquam in re grauiſſima abutens poteſtate, exponensque ſe periculo irritandi actus, valere tamen diſpenſationem, ſi re vera aderat juſta cauſa, & hoc in foro conſcientiæ, donec in externo reuocetur. Quia nulla eſt lex eum actum irritans. Ut latè probaui allegatis Doctoribus, & ſoluens contraria, *ead. diſp.* 17. *nu.* 11. indiſtinctè enim loquuntur de Prælato diſpenſante abſque cognita cauſa in lege ſuperioris: & loquens de eadem lege tenet ſub aliquali dubio dicens fortè ita eſſe *Suarez tomo* 1. *de relig. tract. de diebus feſtis l.* 2. *c.* 33. *nu.* 13. Et in propriis voti terminis docet *Supplementum Gabrielis* 4. *d.* 38. *artic.* 5. *ubi de diſpenſ. in votis quadruplici, columna ante finem.*

7 Atque idem cenſeo, quando Pontifex, vel Epiſcopus, vel alius potens diſpenſare in votis, vel juramentis committit alicui diſpenſare in votis: quamuis enim nequeat licitè diſpenſare, niſi certior factus de cauſa juſta, at valebit diſpenſatio, licèt cauſa ſibi non cognita diſpenſet, ſi re vera illa aderat: niſi in delegatione habeatur ſpeciali forma petens præmitti cauſæ cognitionem. Quia eadem prorſus eſt ratio.

8 Ex quo ſequitur irritam eſſe diſpenſationem conceſſam à confeſſore virtute litterarum ſacræ pœnitentiariæ, vel à diœceſano virtute commiſſionis Pontificiæ, niſi cauſæ cognitionem præmittant, quæ in illis commiſſionibus petitur. Quia in eis commiſſionibus additur, *ſi per diligentem examinationem inueneris ita eſſe, vel preces veritate niti:* quæ verba indicunt formam, & conditionem neceſſariò ſeruanda, ut executio illis commiſſionis valeat. Quod cum multis contra alios, explicansque quando verba delegationis inducant formam, probaui *lib.* 8. *de matrim. diſputat.* 34. *num.* 16. *diſput.* 35. *num.* 16.

9 In omnibus autem caſibus explicatis *triplici n. præcedent.* non tantùm validè, ſed etiam licitè expeditur diſpenſatio, nulla cauſæ cognitione præmiſſa, quando ejus veritas eſt notoriæ, aut diſpenſanti certò conſtat. Quia id examen petitur, ne temerè diſpenſet, quæ temeritas ceſſat, exiſtente cauſa notoria, aut ſibi omnino certa. Quod latiùs probaui *lib.* 8. *de matrim. diſput.* 35. *n.* 16. Et loquens abſolutè de diſpenſatione tradit *Suarez tomo* 2. *de relig. tract. de voto, libr.* 6. *c.* 27. *n.* 7. *in fine.*

10 Quòd ſi quæras, an exigatur cauſam eſſe manifeſtè juſtam, ut ſuperior valeat diſpenſare: an potiùs ſufficiat cauſa dubia. Poteſt dubium hoc referri ad ſufficientiam cauſæ quo ad effectum excuſandi à præcepti aut voti obligatione, abſque omni diſpenſatione. Et tunc conſtat ſufficere cauſam dubiam. Ut dicemus *n.* 36. *&* 39. Aut poteſt referri ad ſufficientiam cauſæ ad diſpenſandum in præcepto, aut voto, quorum obligatio eſt certa ſecludendo diſpenſationem. *Joannes à Metina tractatu, de pœnitentia, quæſt. de diſpenſatione ſuper confeſſione reuelanda, ad finem*, aſſerit peccare diſpenſantem, non tamen explicat an diſpenſatio ſit valida, necne. At verius credo eum non peccare. Quia in benigniorem partem eſt in eo dubio inclinandum, & credendum eſt facultatem ſuperiorum eſſe in hoc dubio: id enim petit bonum, & ſuaue Eccleſiæ regimen: eſſet enim multis ſcrupulorum occaſionibus expoſita poteſtas, ſi ad cauſas ſolas certas extenderetur, & vix auderent ſuperiores diſpenſare. Et ita apertè docent *Syluest. verb. Diſpenſatio, qu.* 14. *num.* 20. *in fine.* Ubi agens de prælatis regularibus, quibus permittitur diſpenſare in regulis, ſic ait: *diſpenſare poſſunt, quando eis conſtat de cauſa legitima, & etiamſi dubitent.* Quia ad clementiorem partem declinandum eſt. Et *Palacios* 4. *diſtinct.* 38. *diſputatione* 3. *col.* 6. *verſiculo Eſt igitur diſpenſatio, fol.* 865. ubi dicens diſpenſationem exigere cauſam juſtam, addit hæc: *Et per cauſam hujuſmodi, ſubaudi, non euidenter juſtam, ſed probabilem, vel dubiam.* Quòd ſi tamen non verſaretur dubium circa cauſæ ſufficientiam, ſed an cauſa aliqua diſpenſandi exiſteret, neutiquam poſſet diſpenſare. Quia poteſtas diſpenſandi exigit neceſſariò cauſam, atque adeò extendi non debet ad dubium, an ſit aliqua cauſa; nec recta Eccleſiæ gubernatio petit eam poteſtatem, ſicut petit quando conſtat de cauſa, & de ſola ejus ſufficientia dubitatur.

11 Quidquid autem ſit de hoc, certum eſt ſubditum eſſe tutum, qui dubius de cauſa, rem totam exponit ſuperiori, ſi ille diſpenſet. Quod probaui *diſp. præced. n.* 6.

12 Tandem ad argumenta contraria propoſita *nu.* 2. reſpondetur. Ad primum dicendum eſt, eam conditionem nequaquam imbibi in votis, ſed ſolùm reſpectu ſuperiorum gaudentium poteſtate dominatiua. Ad ſecundum dic, licèt utraque poteſtas detur in ædificationem, & non in deſtructionem, verſari in hoc diſparitatem. Quòd utraque detur juxta ſuam naturam: & ideò cum natura dominii ſit, ut dominus poſſit ad libitum validè re ſua uti, etſi peccare poſſit in illius abuſu, ita gaudens poteſtate dominatiua irritat validè abſque cauſa, quamuis fortè tunc peccet abuſu poteſtatis. Poteſtas autem ſpiritualis diſpenſandi de voluntate aliena petit ad valorem actus, ut prudenter ac juxta præſuptam domini voluntatem diſpenſatio fiat, ac proinde ſi temerè, & abſque cauſa fiat, eſt irrita. Ad ultimum dic, id tantùm concludere, non poſſe ſubditum ſua voluntate impedire poteſtatem ſuperioris ad diſpenſandum ex juſta cauſa in ſuo voto.

SUMMARIUM.

An juſta voti diſpenſatio exigat ſemper diſpenſationem pertinere directè ad bonum commune? n. 13.

An eadem cauſa exigatur ad diſpenſandum in voto, & ad relaxandum juramentum in ſolum Dei honorem emiſſum? numero 14.

Ad diſpenſandum in voto exigitur cauſa illius executioni obſtans, num.15.
Quid, quando votum commutatur in minus? n.16.
An ſit juſta diſpenſandi in voto cauſa, conferre magnam pecuniæ ſummam, ad opera pia, & publica? n.17.
An cauſa juſta ſit prudentis arbitrio libranda, & quam prudens attendere debeat? n.18.
An major cauſa deſideretur ad diſpenſandum in voto, quàm in lege? num.19.
An quò dignus eſt votum, eò major cauſa exigatur? n.20.
An major exigatur cauſa ad diſpenſandum in voto abſoluto, quàm in pœnali, aut conditionali ejuſdem rei: & major ad diſpenſandum in conditionali, quàm in pœnali, ſitque habenda ratio pœnæ in voto pœnali, ad exigendam majorem cauſam? n.21.
An eò minor cauſa exigatur, quo minor eſt relaxatio materiæ promiſſæ, commutando partim in aliam? n.22.
An quando partim diſpenſatur in voto, relicta partiali ejus materia exigatur major cauſa, quàm dum mutatur omnino materia in alterius minoris partem? n.23.
An exigatur minor cauſa ad diſpenſandum id tempore executionis voti, quàm in ipſo voto? n.24.
An exigatur major cauſa, quando eſt ſimul votum, & juramentum? n.25. Et ibi quid quando idem vinculum repetitur?
Ex quotuplici capite oriatur juſta diſpenſandi cauſa? n.26.
An ſit juſta, quando votum ex minùs prudenti deliberatione eſt factum? n.27.
An exigatur tunc concurrere magnam implendi difficultatem? numero 28.
Quid, ſi votum ita temerè factum inueniatur poſtea eſſe utile? num.29.
Quid de votis puerorum emiſſis ante, aut poſt pubertatem? numero 30.
Quid de voto facto metu mortis à nemine incuſſo, aut non ad extorquendum votum? n.31.
Quid de incuſſo ad illud extorquendum? n.32.
Quid de votis dolo emiſſis? n.33.
Quid, quando ceſſauit, aut eſt error circa ſolam cauſam impulſiuam? num.34.
Quid, quando eſt votum non petendæ diſpenſationis in omnibus his caſibus? n.35.
Quid, quando eſt dubium, an materia ſit facta mala, an inutilis, aut impediens majus bonum? n.36.
Qualiter illa major boni impediti dignitas ſpectanda ſit? n.37.
An ſufficiat ſperari ex voti diſpenſatione majorem ſpiritualem vouentis utilitatem, etiam cum aliquo? n.38.
An idem ſit dicendum, quoties eſt dubia voti obligatio ad quamuis cauſam? n.39.
Quid, quando votum poteſt eſſe occaſio ruinæ, vel attenta communi hominum conditione, vel ſolo vouentis ſtatu? n.40.
Quid, quando eſt magna difficultas implendi voti? n.41.
An ſit ſufficiens cauſa vexari magnis ſcrupulis ratione voti? numero 42.
Quid de morbo continuo aut debilitate virium ad ſuſtinenda religionis onera? n.43.
Quid, quando magnum eſt tranſgreſſionis periculum? n.44.
Quid eo conſurgente ex prauo vouentis habitu? n.45.
Quid, ſi oriatur ex frequenti voti obliuione? n.46.
Quid de vehementi ludendi deſiderio? n.47.
An ſola priuata vouentis utilitas poſſit eſſe juſta diſpenſandi in voto religionis cauſa? n.48.
An ſit juſta cauſa neceſſitas, aut magna boni communis utilitas, ut impediri voto officium concionandi, aut docendi? numero 49.
Quid de magno domus, aut familiæ damno? n.50.
An ſit ſufficiens cauſa ad diſpenſandum in voto religionis, aut caſtitatis, neceſſitas progeniei conſeruandæ? n.51.
Quid de morbo continuo, cui uſu venereorum ſubuenietur? numero 52.
An ſemper ſingula ex dictis cauſis ſat ſint? num.53. Et ibi an rarò detur cauſa ad abſolutam diſpenſationem abſque commutatione mixta?
An prædictæ omnes cauſæ ſint ad diſpenſandum in voto religionis, & caſtitatis? n.54.

13 QUæſtio poſterior. Quæ cauſæ juſtæ ſint ad diſpenſandum in voto? Præmittendum eſt primò, non ſemper deſiderari ad juſtam voti diſpenſationem, ut cauſa diſpenſandi ſpectet directè ad bonum commune, ſed ſatis eſſe, ut indirectè, quatenus bonum partis redundat in totius bonum. Quòd latè probaui loquens de impedimentis matrimonium dirimentibus, *lib.8. de matrim. diſputat. 19. n. 1.* Et in terminis voti conſtat ex dicendis *nu.* 38. 39. & 40. ubi probabitur ſufficientem cauſam eſſe priuatam vouentis utilitatem.

14 Secundò ſupponendum eſt, eamdemmet cauſam exigi, & ſufficere ad diſpenſandum in voto, & in juramento, quando non homini eſt præſtitum, ſed in ſolius Dei honorem. Quòd hujuſmodi juramentum ſit inſtar voti quo ad ejus diſpenſationem. Et ita hoc probaui *libro octavo, de matrimonio, diſputatione vigeſima, numero primo,* ubi Doctores retuli.

15 His præmiſſis, prima concluſio ſit. Ad diſpenſandum in voto requiritur cauſa illius executioni obſtans. Quia, ut diſpenſatio hæc legitima ſit, debet redundare in Chriſti honorem, aut Eccleſiæ utilitatem. Ut docet *D. Thom. 2. 2. qu. 88. articulo 12. in fine corporis.* At deficiente cauſa obſtante voto exequendo, non cedit in honorem Chriſti, aut Eccleſiæ utilitatem, ſeu potiùs expediret id votum impleri. Hanc latiùs probaui, & ejus Auctores retuli *eadem diſput. vigeſima, numero tertio,* eſt tamen limitanda, ut dicemus *num.* 28.

16 Atque idem dicendum eſt, quando votum commutatur in minus, adjuncta partiali diſpenſatione. Quia cum tunc vera diſpenſatio admiſceatur, militat ex hac parte ratio tradita *num. præced.* Doctores hujus retuli *ea diſputat.20. num.* 4.

17 Hinc deducitur, non eſſe juſtam diſpenſandi in voto cauſam, conferre magnam pecuniæ ſummam ad opera pia, aut publica. Quia etſi hoc ad commutationem ſufficiat, ſecùs autem eſt de diſpenſatione. Quòd illa cauſam obſtantem executioni voti minimè exigat. Ut infra dicemus. Hæc autem illam petat. Et docet *Aragon. 2. 2. quæſt. 88. artic. 12. columna 5.*

18 Secunda concluſio. Non poteſt certa regula de cauſæ hujus ſufficientia præſcribi, ſed ea prudentis arbitrio libranda eſt. Quia tria ſpectare debet, juxta *c. Magnæ de voto,* nempe, quid liceat ſecundùm æquitatem, quid deceat ſecundùm honeſtatem, & quid expediat ſecundùm utilitatem. Hæc ab omnibus traditur.

19 Tertia concluſio. Regulariter loquendo multò major cauſa exigitur ad diſpenſandum in voto, quàm ad diſpenſandum in lege humana. Quia ſtrictior eſt obligatio juris diuini naturalis, quo votum obligat. Et ita docet *Nauarr. ſumma cap.12. Hiſpana n.58. Latina nu.57.* Dixi autem *regulariter,* quia aliqua lex humana poteſt adeò bono communi conducere, ut grauiorem diſpenſandi cauſam petat, quàm priuatum votum. Ut optimè docet *Sotus lib.7. de juſtit. qu.4. art.3. col.8. verſic. Hic autem.*

20 Quarta concluſio. Quò dignius eſt votum, eò majori cauſa ad diſpenſationem indiget. Hæc ex ſe conſtat, ſicut in legibus idem contingit. Et docet *Suarez tom.2. de relig. tract. de voto, lib.6. cap.17. n.14.* Et dixi etiam *l.8. de matrim. diſp. 20. num. 2.*

21 Hinc deducitur, minorem cauſam ſatis eſſe ad diſpenſandum in votis pœnalibus, quàm in abſolutis. Quòd illa minùs voluntaria ſint. Ita *Sotus lib.7. de juſt. qu. . artic. 3. col. 6. paulo ante verſiculum De cauſis ſubinde.* Atque idem dicendum eſt de voto conditionali: deſideratur enim major cauſa in illo, quàm in pœnali, at minor quàm in abſoluto. Quòd ſit magis voluntarium quàm pœnale, at minùs, quàm abſolutum. Atque utrumque credo; ſiue ante, ſiue poſt impletam conditionem. Atque ita *Sotus* indiſtinctè locutus eſt de voto pœnali. Et ratio, eſt, quia utrumque habet imbibitam imperfectionem ſuæ originis. Ut probaui *c.40. n.99.* Atque ante impletam conditionem minor cauſa requiritur. Quia tunc minùs obligat, & pendet perfecta ejus obligatio à futuro contingente euentu. Atque in voto pœnali eſt habenda ratio pœnæ, ut major cauſa exigatur ratione illius, & quò illa fuerit dignior. Ut de commutatione loquentes probauimus contra aliquos Neotericos *capit. trigeſimo ſexto, num.* 33.

22 Quinta concluſio. Quò minor eſt materiæ promiſſæ relaxatio per diſpenſationem, eò quòd major, vel minor commutatio adjungatur, eò minor cauſa exigitur. Quæ ex ſe conſtat, quia eſt minor diſpenſatio, ſed in re minori. Et ita docent *Cajetanus 2. 2. quæſt. 88. articulo duodecimo, dub. 2. verſiculo Ad euidentiam cauſæ, in fine, Nauarr. ſumma Latina, & Hiſpana, cap. duodecimo, numero 63. Suarez eodem l.6. c.17. num.* 15.

23 Hinc infertur, majorem cauſam deſiderari ad partialem diſpenſationem, quando partialis commutatio fit in aliquod opus aliud à promiſſo: ut quando diſpenſatur in voto jejunii commutando partim in eleemoſynam, quàm dum illa diſpenſatio fit relicta obligatione partis materiæ promiſſæ. Ut quando diſpenſatur in precibus quotidianis, relictis iis precibus quarto quoquo die. Quia in priori euentu fit partialis diſpenſatio duplici titulo, nempe quia pars materiæ abſolutæ tollitur, & permittitur ſolutio in diuerſa materia. At in poſteriori ſola eſt diſpenſatio remiſſionis partis materiæ promiſſæ. Atque ita optimè docet *Suarez eodem num.* 15.

24 Secundò deducitur, multò minorem cauſam deſiderari ad diſpenſandum in tempore obligationis exequendi voti, quàm in ipſo voto. Quod ex ſe conſtat, cum in priori caſu ſola obligatio differatur, at in poſteriori tota auferatur. Et quò major eſt dilationis mora, eò majore cauſa opus eſt. Quia eſt major diſpenſatio.

25 Sexta concluſio. Quando idem vinculum repetitur circa eamdem materiam, ut idem votum, aut idem juramentum, diſpenſatio illius nullam majorem cauſam exigit, quàm ſi ſemel tantùm emiſſum eſſet. Nam eadem omnium eſt vis, & obligatio, & ideò nec in confeſſione voti illius violati, nec in impetratione diſpenſationis illius, oportet repetitionis mentionem facere. Et ideò benè dixit *Suarez tomo 2. de religione tractatu de voto, lib.6. c.14. nu.26.* ea vincula multiplicata tamquam idem reputari. Similiter quamuis in juramento Deo facto includatur communiter promiſſio, ac proinde votum, nulla major cauſa deſideratur ad diſpenſationem illius juramenti, quàm ſi eſſet merè votum. Quia quo ad diſpenſationem quaſi idem reputantur. Idque conſtat ex dictis

nu.14. Quando autem adſunt ſimul vinculum voti, & juramenti, expreſſa utraque, poſſunt dupliciter concurrere, Priori modo, quando juramentum eſt acceſſorium voto, ac in illius confirmationem emiſſum, ut ſi quis promittat Deo caſtitatem, & poſtea juret ſe id votum ſeruaturum. Poſteriori modo, quando tantùm ſe habet concomitanter, ut ſi quis voueat caſtitatem, & poſtea juret ſe caſtitatem ſeruaturum: in quo euentu in votum non cadit juramentum, quaſi illud confirmans, ſed ſe habet concomitanter, quia utrumque vinculum cadit ſupra eamdem materiam. Et utroque modo emittatur, eſt ſatis probabile, majorem cauſam deſiderari ad diſpenſationem, quàm ſi alterum ſolùm vinculum eſſet. Quòd per diſpenſationem extinguatur utrumque vinculum, & cum duplex ſit, eſt fortius uno, & ideò majorem cauſam requirit, ut materiam compenſet duplici religionis vinculo debitam. At probabile etiam eſt, ſiue priori, ſiue poſteriori modo juramentum accedat voto, eamdem cauſam ſufficere ad diſpenſationem utriuſque concurrentis, quæ ad alterius ſolius ſufficeret. Quod defendit *Suarez eod. c.14. n.15. & 21. & num. ult.* Quia, inquit, eſt ſatis probabile utroque modo accedens juramentum voto, tolli quaſi indirectè per ſolius voti diſpenſationem juramentum, & nullam majorem grauitatem intenſiuam addi per juramentum, ſed ſolam extenſiuam: & rem moraliter, & practicè ſpectando, parum referre ad vim obligationis in ordine ad Deum, utrouis modo juramentum fiat, nec eſſe minorem obligationem in juramento, & voto, ſiue priori, ſiue poſteriori modo juramentum accedat voto.

26 Ultima concluſio. Ex triplici capite poteſt conſurgere cauſa obſtans executioni voti, ac proinde juſta ad diſpenſandum in illo. Primum eſt, ex parte ipſius vouentis. Secundùm, ex parte materiæ promiſſæ. Ultimum ex cauſa extrinſeca pertinente ad bonum commune, aut priuatum vouentis. Atque cauſæ ex his conſurgentes ſunt ſeorſum explicandæ.

27 Prima cauſa ex parte vouentis eſt, Quando votum non proceſſit ex perfecta, ac prudenti deliberatione, ut quando ex ſubito iracundiæ calore, aut alia ſubita paſſione non tollente deliberationem neceſſariam ad voti valorem petitam profectum eſt. Et ratio eſt, quia cum obligatio voti vim habeat ex libera vouentis voluntate, qua ſe ad id adſtrinxit, diminutio hujus voluntatis de ſe diminuit obligationem, & ideò præſtat juſtam diſpenſandi cauſam. Præterea id probat textus *cap.2. de voto,* ibi, *Nos autem ipſum à voto, quod in tenera ætate, facilitate potiùs, quàm ex arbitrio diſcretionis promiſit, abſoluimus.* Hocque latiùs probaui multos Doctores referens *lib.8. de matrimonio, diſputatione 20. numero duodecimo,* & ultra Doctores *ibi* allegatos tenent *Sayro in claui regia, libro 6. cap.12. num.30. Suarez 2. tom. de relig. tract. de voto, libro 6. c.17. num.8.*

28 Hoc autem limitat *Valentia 2. 2. diſp.6. qu.6. puncto 7. ad finem,* quando talem leuitatem præteritam ſequeretur poſtea maxima implendi difficultas ob infirmitatem vouentis, ac lapſuum frequentiam, ita ut jam id votum reddatur inutile perſonæ, tunc enim ea leuitas reducitur ad cauſam executioni voti obſtantem. Ducitur, quòd communis ſententia, ut *n.15.* diximus, petat ad voti diſpenſationem, ut adſit cauſa ejus executioni obſtans. At hæc limitatio diſplicet. Quia eam cauſam ſufficere ad diſpenſandum in votis prudenter emiſſis, dicemus *n.41.* & 44. Quare nil peculiare tribueretur facilitati, & imprudentiæ in vouendo. Cujus contrarium, & textus, & Doctores *n. præced.* allegati apertè volunt. Atque *Palud. 4. d.38. q.1. art.1. num.19.* ait, hujuſmodi vota non omnimoda obligandi vi gaudere: quod nulla alia ratione inniti poteſt, niſi quia ſecum diſpenſandi cauſam afferant. Et ratio adducta *num. præced.* ſatis hoc probat. Quare dum Doctores *n.15.* relati petunt ad voti diſpenſationem, adeſſe cauſa executioni illius obſtantem, intelligunt de votis prudenti deliberatione emiſſis, in quibus ratio inuoluntarii admixta non præbet juſtam diſpenſandi cauſam. Placet tamen, ut ex ſola hac leuitate non omnino ſit in voto diſpenſandum, ſed admixta aliqua commutatione. Ut benè docet *Petrus de Ledeſma 2. tomo ſummæ, tractatu 10. cap.8. in quarta part.* ubi tractat de cauſis diſpenſandi, *in 1. dicto, & in fine capitis.* Et ideò cautè dixit *Leonardus lib. 2. de juſt. cap. 40. dubio duodecimo, numero* 101. hanc leuitatem eſſe cauſam facilioris diſpenſationis. Et *Suarez numero præcedenti* relatus ait, eſſe cauſam remittendi voti, vel ex toto, vel ex parte.

29 Alii limitant, ut intelligatur hæc cauſa, niſi votum non noceat, ſed reperiatur poſtea utile, tunc enim non erit hæc cauſa ſufficiens tollendi voti. Ita *Suar. eod. c.17. nu.14.* Qui ſi intelligat, hanc cauſam non eſſe ſufficientem ad omnino diſpenſandam, atque tunc majorem commutationem adjungendam, quàm ſi ſola ea facilitas adeſſet, id admitto. Si verò velit, nullam tunc ex ea deliberatione oriri cauſam diſpenſandi partialiter, non placet. Quia non tollitur defectus plenæ deliberationis ex accidentario euentu, qui hanc diſpenſandi cauſam præbet.

30 Hinc infertur primò, eſſe juſtam diſpenſandi cauſam hanc facilitatem, & imprudentiam in votis impuberum, imò, & puberum, quando diſcretio non multùm ſupplet ætatem. Atque ita docet *Suar. eod. c.17. n.8.* Imò quando ante pubertatem eſt emiſſum votum, probaui *l.8. de matr. diſp.20. num.13.* ſufficere eam cauſam ad totalem diſpenſationem: etſi conſilium ſit tunc aliquam commutationem admiſcere. Juxta dicenda *c. ſeq. n.4.*

31 Secundò deducitur, metum mortis procedentem ex naufragio, aut ex alia cauſa non incuſſa ad extorquendum votum, præbere juſtam diſpenſandi cauſam, quando prudentem deliberationem excluſit, ſecùs quando illam habuit. Atque idem credo, quando is metus eſſet leuis, ſi prudens deliberatio deſit. Quia cum defectus maturæ deliberationis præbeat hanc cauſam, nil refert, qualitas metus ad votum inducentis. Poſterior pars inde probatur, quia cum nulla injuria in eo voto emittendo concurrerit, nec matura deliberatio defuerit, non eſt, cur id votum afferat ſecum diſpenſandi cauſam. Atque ita probavi *ead. diſput.20. n.14.* Et videtur tenere *Suarez eod. c.17. n.8.* ubi inter cauſas diſpenſandi ex plenæ deliberationis defectu numerat metum. Et ſic intelligendus eſt *Sayro in claui regia, l.6. c.12. n.30.* ubi inter diſpenſandi cauſas numerat metum.

32 Quando autem metus eſſet incuſſu per injuriam ad extorquendum votum, nec eſſet talis, qui illud irritaret, exiſtimo juſtam diſpenſandi cauſam præberi ex illo, quamuis non minueret plenam deliberationem. Quòd in eo euentu cedat diſpenſatio in majorem Dei honorem, ne ſibi accepta videatur injuſtitia extorquentis votum. Item quia id votum nequaquam ex animo proceſſit, ſed ad redimendam vexationem. Tandem quia ſupra *c.3.* diximus, eſſe probabile id votum non obligare: & *nu.39.* probabimus dubium de voti nullitate præbere juſtam diſpenſandi cauſam, nedum ejus nullitatis probabilitas eam præbebit.

33 Tertiò deducitur, dolum quoque, quo votum emiſſum eſt, præbere juſtam diſpenſandi cauſam. Ut benè *Sayro n.31. in fine* relatus, qui eſt neceſſariò intelligendus de dolo non irritante votum, quando enim illud irritat, nulla diſpenſatione opus eſt. Et ratio eſt, quia valde minuit voluntarium: ac proinde militat eadem ratio, quæ in votis ex imperfecta deliberatione emiſſis. Et conſtabit magis ex dicendis *n. ſequent.*

34 Ultimò deducitur, eſſe etiam juſtam cauſam diſpendi, errorem circa cauſam impulſiuam voti, aut illam jam ceſſaſſe. Quia minuit etiam voluntarium. Quod ex quodam textu, & Doctoribus probaui *l.8. de matr. diſp.20. nu.16.* qui dicunt faciliùs diſpenſandum in his votis, ac proinde cenſent eſſe juſtam diſpenſandi cauſam, cum aliqua commutatione admixta.

35 Monuerim tamen, non ſemper juſtam diſpenſandi votis his cauſam eſſe quoque juſtam diſpenſandi in voto non petendæ illorum diſpenſationis, ſed quando eadem ratio reperitur in utroque voto. Ut ſi quis metu leui, aut abſque debita deliberatione promiſit aliquid Deo, at poſt liberè, ſeu maturo conſilio vouit ſe non petiturum prioris voti diſpenſationem, imprudentia, vel metus in priori voto inuenta, quæ diſpenſandi in illo juſtam præbebant cauſam, non præbebunt ad diſpenſandum in poſteriori, in quo illa non ſunt inuenta: ſecùs autem ſi in poſteriori quoque inuenirentur. Quia tunc eadem eſſet ratio.

36 Secunda cauſa diſpenſandi ſumitur ex parte materiæ voti, quæ ſic aſſignatur a Doctoribus, quando materia voti eſt facta inutilis, aut mala, aut impediens majus bonum. Hujus Auctores retuli *l.8. de matr. diſp.20. n.8.* & ultra illos ita dicit *Sayro in claui regia, l.6. c.12. num.27.* Quos quidem non eſſe intelligendos, quando id conſtat, probaui *ibi:* tunc enim votum deſinit obligare, ac proinde diſpenſatione non eget. Sed intelliguntur quando res eſt dubia, an talis ſit facta materia. Atque *ibi* dixi eoſdem Doctores in aliis locis ſe ita explicare. Et ita etiam explicant *Azor. tomo 1. inſtit. mor. l.11. c.19. q.17. & Suarez* loquens de ſolo caſu, in quo majus bonum impediri eſt dubium, in *tomo 2. de relig. tractatu de voto, lib.6. cap.17. num.10.* Et ratio eſt, quia votum debet de re licita eſſe, & utili, ac meliori, quare deuiat a fine, & ratione voti, non ſolùm quando contrarium eſt tercum, ſed etiam in caſu dubio. Nam etiam id dubium derogat ſeueritati voti.

37 Eſt tamen major illius boni impediti bonitas ſpectanda, attenta voti materia non ſolùm in ſe conſiderata, ſed etiam quatenus obligat ex voto. Verbi gratia, dubitatur, an jejunium promiſſum obſtet majori bono, bonitas illius operis impediti comparanda eſt ad jejunium, non tantùm ut eſt actus abſtinentiæ, qualis eſt in ſe conſideratum, ſed etiam ut eſt actus religionis ratione voti. Quia alioquin bonum impeditum non eſſet omnibus conſideratis majus. Item quia cum per diſpenſationem tollantur vinculum voti, & ejus materia, bonum cauſam diſpenſandi præſtans debet utrumque compenſare. Atque hujus Auctores retuli *ea diſputat. 20. numero 9.* & ultra illos tenet *Manuel in addition. ad Bullam Cruciatæ* §. 9. *num.* 105.

38 Imò eſt juſta diſpenſandi cauſa, quod ex diſpenſatione voti ſperetur major utilitas, majorque ſpiritualis ipſius vouentis fructus. Quia per votum principaliter intenditur ſpiritualis vouentis utilitas. Atque ita docent *Ricardus 4. d. 38. artic.9. quæſt.1. Suarez eodem capit. 17. numero* 10. Qui optimè addit id verum eſſe, quamuis ea ſpes ſit cum aliquo dubio.

39 Ex quo deducitur, juſtam cauſam eſſe diſpenſandi in omnibus aliis caſibus, quoties ob aliquam circumſtantiam redditur dubia voti obligatio, quamuis id dubium non ſufficiat ad liberandum obligatione voti, ſecluſa diſpenſatione.

Quod relatis Auctoribus probaui *ea diſp.20. n.11.* & ultra illos tenet *Suarez eo c.17. n.10. Major. in 4. d.38. q.3. in fin. Couarr. de pactis 1.p. §.3. n.4. verſic. Ego verò, Petrus de Ledeſma 2. tomo ſummæ, tractatu 10. capit.8. in fine, & quatuor columnis ante finem ejus capitis, verſ. Digo lo primero.* Quia aliàs eſſet inutilis auctoritas prælatorum ad diſpenſandum: cum diſpenſatio nulla exigatur in caſibus certis excuſantibus à voti obligatione.

40 Tertia cauſa ſumitur ex parte materiæ voti, quando moraliter poteſt eſſe occaſio ruinæ, ſiue per ſe ſpectata includat tale periculum, reſpectu hominum communiter, ut eſt votum numquam peccandi mortaliter, & votum caſtitatis in conjugato, ſiue in particulari reſpectu hujus vouentis. Quia res morales magis ſunt in indiuiduo conſiderandæ, attentis particularibus circumſtantiis, quàm in uniuerſali. Et ſic poſſunt etiam intelligi Doctores *n.36.* allegati, dum dicunt eſſe juſtam diſpenſandi cauſam, quando materia voti redditur mala, ideſt, quando præbet mali occaſionem, non ex ſe, ſed ex hominis fragilitate. Et ratio eſt, quia id periculum derogat multùm fini voti, atque adeò rationi conſonat, ut Eccleſia illud caueat diſpenſando in voto. Ne quod pro charitatis perfectione introductum eſt, vergat in ejus diſpendium. Nec obſtat, ligatum voto caſtitatis ineuntem matrimonium incidiſſe ſua culpa in id periculum. Quia non obſtante ea culpa eſt ei ſubueniendum. Hanc cauſam, ut jacet, tradit *Suar. eo c.18. n.9.* Et quando periculum ex ſtatu conſurgit, ſatis probaui *lib.8. de matrim. diſput.20. n.17.* ubi aduerti, quando periculum ex vouentis ſtatu conſurgit, ut in conjugato ligato voto caſtitatis, illud non præbere cauſam diſpenſandi in reliquis, ad quæ caſtitas obligat, præter debiti petitionem, ut ne ſit conjux ille ſacrilegus fornicando, vel ut eo matrimonio ſoluto aliud ineat. Quippe periculo illi conſurgenti ex ſtatu ſatis conſulitur conceſſa debiti petitione per diſpenſationem.

41 Quarta cauſa ſimiliter ſumitur ex parte materiæ, quando magna voti implendi difficultas ſuperuenit, inſufficiens tamen ad auferendam voti obligationem. Quia hoc eſt valde conſentaneum benignitati Dei, & neceſſarium ad conſulendum fragilitati humanæ. Præterea, quia ſæpè magna ea difficultas periculum tranſgreſſionis affert. Et ita tenent *Abbas c. Non eſt, num.6. de voto, Suarez eodem c.17. nu.11.* & dixi *eadem diſput.20. n.22.* ubi duplex exemplum adhibui. Prius, quando votum religionis uſque ad ſenectutem eſt dilatum, quando jam eſt dubium, an ille poſſit ſuſtinere religionis auſteritates. Poſterius, ſi ille vouit religionem, in qua à carnibus abſtinetur, & factus eſt ita debilis ſtomachi, ut dubium ſit, an eam abſtinentiam ferre valeat. Quod optimè intelligit *Suarez eodem c.17. n.12.* quando hæc difficultas eſt denuo ſuborta, vel re vera, vel juxta vouentis cognitionem. Quia ſi à principio inerat, & fuit cognita (addo vel præuiſa,) non eſt (inquit) juſta cauſa diſpenſandi, niſi aliquod noui accidat, vel periculum ſit ſubortum, aut experientia cognitum. Quia tota illa difficultas fuit voluntariè Deo oblata. Alia limitatio apponitur à quibuſdam, de qua dicemus *numero 45.*

42 Hinc deducitur, juſtam diſpenſandi cauſam eſſe, cum vouens ratione voti nimiis conſcientiæ ſcrupulis vexatur, ita ut valde quieti conſcientiæ implere uotum noceat. Ut vouit quiſpiam ſe quotidie calculos virgineos recitaturum, angitur magnis ſcrupulis, num attentè, ac integrè recitarit, paſſim repetens, nec adhibitis mediis conſuli ejus conſcientiæ poteſt. Quòd id votum ſit valde oneroſum, & potiùs noceat. Atque idem dicendum cenſeo, quamuis ille difficultatem hanc præuiderit. Quia fuit valde imprudens votum, & ejus executio potiùs nocebit.

43 Secundò deducitur, eſſe juſtam diſpenſandi in voto religionis cauſam morbum continuum, cujus ſalus deſperatur, quando talis eſt, ut obſeruantias regulares impediret. Atque idem benè docet *Petrus de Ledeſma 2. tomo ſummæ, tractatu 10. c.8. in 4.p.* ubi tractat de cauſis diſpenſandi, *in primo dicto.* Atque agentes de voto indiſtinctè tradunt hanc cauſam eſſe juſtam. *Nauarr. ſumma Latina, & Hiſpana c.12. n.77. Graffis 1.p. deciſionum, l.2. c.31. n.35. Sayro in claui regia, lib.6. c.12. nu.28.* Quod eſt intelligendum cum limitatione, quam *n.41.* diximus, niſi difficultas ea eſſet præuiſa. Atque etiam in hoc caſu crederem eſſe juſtam, ſi votum illud valde imprudens judicaretur, & potiùs ejus executionem nocituram.

44 Tertiò deducitur, eſſe quoque cauſam diſpenſandi juſtam, vehemens transgreſſionis periculum, non ſemel, vel iterum, ſed frequentis transgreſſionis. Quod conſtat ex dictis *n.40.* & latiſſimè probaui Doctores adducens *lib.8. de matr. diſp.20. n.18.* Quod ultra Doctores *ibi* citatos docet optimè *Nauarr. l.3. conſiliorum, titul. de voto, in priori editione, conſ. 16. n. ult. in ſolutione ad 3. in poſteriori, conſ.36. in eadem ſolutione,* dicens tunc eſſe juſtam diſpenſandi cauſam; quando perinde id votum violatur, ac ſi emiſſum non eſſet. Ubi etiam *toto eo conſilio* optimè probat, hanc cauſam eſſe juſtam diſpenſandi in voto non fornicandi, vel alterius peccati vitandi. Quia quamuis ſublato voto maneat ratio culpæ, vitatur tamen novum illud fractionis voti ſacrilegium. Et *Suarez eodem c.17. n.9.* ſic explicans hoc periculum, quando vouens longa experientia nouit ſe fragilem, & vix poſſe continere. Et *Leonard. lib.2. de juſtit. cap.40. dubio 12. num.103. & Sayrs in claui regia l.6. c.12. nu.30.* ubi ambo hoc periculum explicant, quando ſæpè violatur votum, vel eſt periculum ſæpè violandi.

45 Temperant tamen aliqui hanc cauſam, quando transgreſſionis periculum conſurgit ex infirmitate, vel paſſione, quibus attentis votum eſt ſeruatu difficile, ac viribus impar, ſecùs ſi periculum conſurgat ex malitia, ac prauo vouentis habitu. Ducuntur, quòd cum votum deſeruiat medicinæ eorum prauorum affectuum, & habituum, diſſonat rationi hoc allegare ut cauſam voti relaxandi. Præterea, quia ex delicto ſuo nullus reportare commodum debet, ut voto liberetur. Hujus ſententiæ Auctores retuli *libr.8. de matrim. diſp.20. n.19.* & ultra illos tenet *Petrus de Ledeſma* relatus *n.43.* At hanc limitationem *ibi* cum aliis Doctoribus reprobaui, & reprobat quoque *Suarez eodem c.17. n.12.* Atque idem probaui, undecumque id periculum oriatur, ſi ratione voti ſpes emendæ non ſubſit, eſſe juſtam cauſam. Quod præter Doctores *ibi* relatos tenet *Sayro in claui regia, libr.6. cap.12. num.31.* Quia eo habitu ſuppoſito, & magna fragilitate inde acquiſita res illa promiſſa eſt reddita viribus impar, ac votum illi eſt factum inutile, utpote quod non medicinæ, ſed laqueo, nec vitandis peccatis, ſed augendis deſeruit. Nec hoc eſt ex malitia commodum reportare, ſed ex materia voti, quæ ſuppoſita illa malitia eſt reddita inutilis.

46 Atque idem dicendum eſt, quando id transgreſſionis periculum oritur ex frequentiſſima voti obliuione. Quia tunc etiam eſt votum illi inutile. Et ita tradunt *Angles floribus 2. p. qu. unica de voto, art.8. in fine, Lud. Lopez 1.p. inſtr. conſcientiæ c.50. col.3. verſ. Etiam ſecundùm, Sayro eod. c.12. num.30.* licèt duo priores de commutatione loquantur. Et ita erit ea admiſcenda.

47 Ex quibus infertur non eſſe juſtam diſpenſandi cauſam, v.g. in voto non ludendi, vehemens ludendi deſiderium, ac tentationes pati. Ut benè docet *Nauarr. ſumma Hiſpana c.18. additione ad numerum 1. c.12. Latina c.12. num.11.* Sed tunc tantùm, quando eæ tentationes eò vouentem trahunt, ut frequentis transgreſſionis voti eum periculo exponant. Quare benè *Alcozer lib. de ludo, cap. 13. concluſ. 8.* ait, juſtam quoque eſſe diſpenſandi cauſam in juramento non ludendi, ſi quis conſtitutus ſit in illius violandi occaſione, eò quòd juvenis ſit, & in eo loco verſetur, in quo ludum prætermittere nequit, niſi ruſticus, & agreſtis habeatur. Secùs autem quando ea ſola allegatur cauſa, quòd jurans valde ægrè ferat ſe à ludo abſtinere, cum tamen ratione juramenti ſe abſtineat.

48 Secundò deducitur contra *Sotum*, quem retuli *eadem diſput. 20. num. 21.* poſſe ſolam priuatam vouentis utilitatem eſſe juſtam diſpenſandi in voto religionis cauſam. Ut ſi ita venerea ſtimulis carnis vexatus labatur, ut expediat eum ad ea vitanda uxorem ducere. Quod probaui *ea diſputatione 20. num.21.* Quod intelligo, dummodo aliqua commutatio miſceatur: ut ſolet Pontifex miſcere. Et cum hac limitatione docet idem *Sayro in claui regia, lib.6. cap.12. numer. 29. in fine.*

49 Quinta diſpenſandi cauſa ſumitur ex neceſſitate boni communis, aut magna ejus utilitate. Ut ſi quis religionem, aut caſtitatem vouiſſet, & expediret ad communem reipublicæ utilitatem ejus matrimonium. Hæc cauſa ſumitur ex *cap. Magnæ, & c. Ex multa, de voto.* Et ratio eſt, quòd bonum commune ſit priuato præferendum. Hanc probaui, Doctores afferens *libro octauo de matrimonio diſputatione 20. num. 24.* & ultra Doctores *ibi* relatos tenent *Suarez eodem c.17. num.13. Sayro in claui regia, eodem c.12. num.29.* ubi benè affert etiam hujus rei exemplum, ut ſi jejunium promiſſum impediat officium concionandi, aut docendi cedens in bonum commune. Atque *eo numero 24.* probaui cum *Cajetano*, nil referre, etiamſi illa boni communis cauſa ſit excitata ex hominum malitia, ut ſi bellum ſedari non poſſet, niſi puella voto caſtitatis adſtricta nuberet, etſi juſta diſpenſandi cauſa.

50 Ultima diſpenſandi cauſa ſumitur ex neceſſitate boni priuati. Quæ eſt grauis neceſſitas domus, vel familiæ. Ut ſi quis numeroſam familiam habens ſenſuram graue damnum ex ejus abſentia, peregrinationem voueret, eſſet juſta diſpenſandi cauſa. Quia his ſubuenire eſt opus pietatis, quod interdum præfertur operi religionis. Et ita docent *Nauarr. ſumm. Hiſp. & Latin. cap.12. num.77. Lud. Lopez 1. p. inſtructorii conſcientiæ cap.49. col.2. verſ. Leuitas, Graffis 1.p. deciſ. lib.2. cap.31. num.35. Sayro eodem c.12. n.30. Suarez eodem c.17. n.13.* Et quamuis contrarium ſentire videatur *Turrecr. cum Hugone cap. Requiritis §. Niſi rigor 1. qu.7. artic.4.* at quæ adducit, nil probant.

51 Non tamen eſt juſta diſpenſandi cauſa in voto caſtitatis, aut religionis, neceſſitas conſeruandæ progeniei alicujus nobiliſſimi ducatus, aut marchionatus, niſi admixti aliqua commutatione, & ita ſolet ob hanc cauſam diſpenſari. Quòd ſit cauſa merè temporalis, & ſic non ſufficiat ad diſpenſationem meram: eſt tamen aliqualis cauſa, ut admixta commutatione partim diſpenſetur. Ut benè tradunt *Nauarr. lib. 3. conſil. in priori editione, tit. de voto, conſil. 32. numer. 3. Enriquez lib. 2. de matrim. cap.3. numer.9. in commento, litera D.*

52 Eſt etiam juſta diſpenſandi in utroque voto cauſa, miſcendo aliquam commutationem, morbus continuus, cui periti medici judicant venereis actibus ſubueniendum eſſe.

Quia

Quia negari nequit, materiam voti eſſe notabiliter mutatam, & grauem difficultatem ſuperueniſſe à vouente non excogitatam. Et ita latiùs probans contra alios ſuſtinui *l.8. de matr. diſp. 20. n.26.*

53 Demum duo obſeruanda ſunt. Prius eſt, non ſemper ſingulas cauſas ex dictis ſufficere ad totalem voti diſpenſationem, cui nulla commutatio adjuncta eſt, ſed ſæpè debere plures concurrere, aut aliquam commutationem eſſe miſcendam. Et ita benè docet *Suarez eodem cap.17. num. 4.* Imò benè etiam addit *num. 19.* raro concurrere cauſam ad meram diſpenſationem. Quod idem tradunt *Alcozer ſumma cap. 16.* ubi de voti diſpenſatione, *concluſione ſecunda, fol.58. pag. 2.*

54 Poſterius eſt. Doctores allegati in prædictis cauſis, præter unam, aut alteram cauſam, quas notauimus, in quibus eſt ſpecialis difficultas, an ſufficiant ad diſpenſandum in voto caſtitatis, & religionis, non agunt de his votis, ſed indiſtinctè tradunt cauſas prædictas eſſe juſtas ad diſpenſandum in voto. At ſimiliter habebunt locum in his votis, ſi reperiantur proportionem debitam illis habere, attendendo quò major eſt horum votorum dignitas, eò majorem in illis cauſam exigi, & majorem commutationem diſpenſationi mixtam.

CAPUT XLVI.

De licito diſpenſandi uſu nullam commutationem miſcendo, & de obligatione aliquando diſpenſandi, aut petendæ diſpenſationis, vel commutationis.

SUMMARIUM.

An prælatus peccet diſpenſando in voto, non miſcendo aliquam commutationem, & ſimiliter petens? Refertur opinio n.1.
Explicatur ſententia Auctoris, n.2.
Quando prudenter nulla imponitur commutatio? n.3.
An ſit conſilium admiſcere aliquam commutationem? n.4.
An teneatur aliquando nullam miſcere commutationem? n.5.
An ſuperior teneatur aliquando diſpenſare? n.6.
An id contingat, quoties eſt juſta diſpenſandi cauſa? Refertur quædam ſententia, n.7.
Explicatur ſententia Auctoris, n.8.
Declaratur, quando teneatur, n.9.
An ſi nolit tunc diſpenſare, poſſit appellare? n. 10.
An teneatur aliquando vouens petere diſpenſationem voti, aut commutationem? n.11.

1 TRiplex petitur difficultas. Prima eſt, an Prælatus, aut quicumque alius habens facultatem diſpenſandi in voto, ejusque commutandi, peccet ſola diſpenſatione utens? Affirmant quidam. Quod infidelis ſit diſpenſator, qui cum minori domini jactura potens aliquid efficere, ejus rationem non habens, cum majori facit. Hi ſunt *Sotus lib.7. de juſtitia, qu.4. art. 3. columna 8. verſicul. Hinc ergo fidelis, Manuel 2. tomo ſummæ c. 100. n.4. ad finem, & in Bulla cruciatæ, §.9. n.107. in fine, Ovandus 4. d. 38. diſp. unica, propoſitione 29.* Atque idem dicunt de petente abſolutam diſpenſationem. Et dicit probabile *Suarez tomo 2. de relig. tract. de voto, lib.6. c.17. n.18. in initio.*

2 At *lib. 8. de matrimon. diſputat. 9. numero ultimo* tenui, & nunc teneo, nullam eſſe culpam diſpenſare, nullam commutationem admiſcendo, quando eſſet ſufficiens totalis diſpenſationis cauſa; quamuis licitè poſſet ſuperior commutationem aliquam miſcere. Ducor, quòd manifeſtum ſit Prælatos gaudere poteſtate, non ſolùm commutandi vota, & partim diſpenſandi adjuncta commutatione, ſed etiam diſpenſandi omnino abſque commutatione adjuncta. Quod univerſi Doctores ſupponunt tamquam rem certiſſimam. Ergo quoties adeſt juſta cauſa totalis diſpenſationis, nulla eſt culpa ea uti. Prudens enim illius facultatis uſus ſolam juſtam uſus cauſam petit, ſicut in quacumque alia adminiſtrandi commiſſione contingit. Et confirmatur, quia ſi uſus poteſtatis omnino diſpenſandi non poſſet eſſe abſque peccato, vana, imò mala eſſet ea poteſtas. Ergo quando cauſa eſt talis, ut ſufficiat ad integrum illius poteſtatis uſum, ille erit licitus. Prætereà, quia id probat uſus, quando enim Epiſcopi diſpenſant in voto caſtitatis cum conjugato ad petendum, numquam ſolent commutationem aliquam imponere; eò quod ratione vehementiſſimi periculi ſit apertæ integræ diſpenſationis cauſa. Tandem, quia ſuauis gubernatio Eccleſiæ petit, ut uſus harum facultatum ſit in Prælato ad utendum utraque facultate, quando cauſa ſufficiens fuerit, nimirum, aut commutando partim, aut benigniùs agendo, diſpendo omnino. At quando utraque poteſtas ſic committitur œconomo, non eſt infidelis, ſi utrauis utatur. Et ſic ceſſat fundamentum contrarium. Atque ita pro hac ſententia eſt expreſsè *Cajetanus 2.2, quæſt. 88. artic. 12. dubio ſecundo, verſicul. Ad euidentiam cauſæ, in fine,* ubi hæc ait: *Poſſunt prælati ex cauſa diſpenſando in minus commutare. Sicut etiam poſſunt ex cauſa diſpenſare abſolutè.* Et *Nauarr. ſumma Latina, & Hiſpana cap. 11. numero 63.* ubi hæc ait: *Qui habet auctoritatem diſpenſandi, poterit omnino relaxare, abſque eo quòd voti aliquid injungat; & tunc tam vouens, quàm qui diſpenſat, manent in conſcientia ſecuri.* Et tenet *Suarez eo capit. decimoſeptimo, num. decimo octauo, & 21. ad finem.* Ex quo etiam conſequitur carere quoque tunc culpa petentem eam diſpenſationem.

3 Caſus autem, in quibus prudenter utetur ſuperior totali diſpenſatione, optimè enumerat *Suarez eo c.17. n.18.* & ſunt hi. Primus eſt, ſi vovens tot emiſerit vota, ut expediat eum aliquibus omnino exonerare. Secundus, ſi ita pauper ſit, ut nullam eleemoſynam elargiri valeat, atque ita labore, ac aliis occupationibus ſit implicitus, ut expediat nullum aliud onus illi injungere. Tertius, quando adeſt lapſus periculum, quacumque materia relicta ſub voti obligatione. Et poteſt addi quartus, ſi tot ſcrupulis vexatus ſit, ut expediat ad proſpiciendum quieti ſuæ conſcientiæ, eum omnino voti obligationi liberare. Et alii etiam poſſunt occurrere. Regula tamen univerſalis tradita *num. præced.* eſt retinenda, ut totalis diſpenſatio ſit omnino licita, quoties ſufficienti cauſæ innititur.

4 Quia tamen cauſæ ad omnino diſpenſandum ſunt ratæ, eſt regulariter ſanum conſilium admiſcere diſpenſationi aliquam commutationem. Nam ut optimè ajunt *Cajet. 2. 2. q. 88. art. 12. dub. 1. verſic. Ad evidentiam cauſæ, ad finem, Navarr. ſumma c. 12. nu. 63. Alcozer ſumma c. 16. ubi de voti diſpenſatione, concl. 2. fol. 58. pag. 2.* contingit ſæpè non adeſſe cauſam ſufficientem ad diſpenſandum omnino, benè tamen ad diſpenſandum aliqua commutatione admixta; & quo cauſa diſpenſandi major fuerit, eo minor commutatio exigitur. Ergo ad vitandos ſufficientiæ cauſæ ſcrupulos eſt ſanum conſilium, regulariter loquendo, miſcere aliquam commutationem. Quod etiam probat uſus Pontificum miſcentium ſemper aliquam commutationem. Et ita docent *Alcozer ibidem, Suarez eodem c. 16. in fine, Leonardus lib. 2. de juſt. c. 40. dub. 10. n. 101.*

5 Quando verò cauſa eſt adeò urgens, ut petat totalem diſpenſationem, non licebit prælato cogere ſubditum ad aliquam partialem voti commutationem admittendam. Quia tunc tenetur prælatus ex vi ſui muneris ad illam concedendam. Sic tradit *Suarez eodem c. 17. nu. 21.* Sed credo rariſſimum fore caſum.

6 Secunda difficultas eſt, an teneatur Prælatus aliquando in voto diſpenſare, ſiue admixta commutatione, ſiue abſque illa. Quia in re certum eſt eum aliquando teneri. Quod conſtabit ex dicendis *numero 9.* ubi caſus hujus obligationis explicabitur. Et id ſupponit *Suarez numero præcedenti* relatus.

7 At eò tendit difficultas, an ſemper, quando adeſt juſta diſpenſandi cauſa, teneatur Prælatus diſpenſare. Quidam affirmant. Cujus ſententiæ Auctores, & rationes retuli *libr. 3. de matrimonio diſputat. 10. numero 2. & num. 7.* ejus rationes ſolui.

8 At verius eſt, non ſemper, quando adeſt juſta diſpenſandi cauſa, teneri Prælatum diſpenſare, ſed quandoque eſſe tunc debitam, quandoque autem gratuitam. Probatur, quia ſicut poteſt Prælatus exiſtente cauſa commutationis voti petitæ à ſubdito eam quandoque concedere, & eam quandoque negare, vel propter majorem diſciplinæ rigorem, vel in pœnam, vel ob alias cauſas; ita id poteſt in diſpenſatione contingere. Hanc etiam partem multis textibus, & rationibus, ac Auctoribus probaui *ea diſputat. 10. num. 3.* & ultra Doctores *ibi* relatos, tenet *Suarez eo cap.17. num. 21.*

9 Quòd ſi petas, quando ſit gratuita, & quando debita, explicui etiam latè *ea diſput. 10.* ubi *numer. 4. & 5.* duas ſententias retuli. Et *num.6.* explicui caſus, in quibus tenetur prælatus diſpenſare. Qui omnes non poſſunt huic rei adaptari, eò quòd *ibi* tractabam de diſpenſatione in denuntiationibus matrimonio præuiis. At caſus in voto is erit; tunc tenetur diſpenſatione uti, quando notabile bonum publicum, aut priuatum vouentis ſpirituale diſpenſationem exigit, nec mera commutatione poteſt commodè id damnum ex non concedenda diſpenſatione imminens caueri, aut illi bono ſpirituali proſpici. Quia cum poteſtas prælatorum ad diſpenſandum ſit in ſubditorum bonum, ac ex officio teneantur conſulere ſpirituali eorum ſaluti; tenebuntur utique diſpenſare, quoties diſpenſatio ad eum finem eſt neceſſaria. Quod ampliùs probaui, ac Doctores attuli *ea diſputat. 10. num. 6.*

10 Quòd ſi Superior nolit diſpenſare, grauis controverſia eſt inter Doctores, an poſſit ab illo appellari. Atque *ea diſp.10. à num.14. uſque ad 19.* retuli ſex dicendi modos. Et *à num.20. uſque ad 24.* hac diſtinctione uſus ſum, illam Auctoribus, & rationibus probans. Quando jus ex aliqua cauſa præcipit diſpenſationem, appellatio ab ejus denegatione gaudet effectu ſuſpenſiuo, & deuolutiuo. Quia ille, cum quo eſt diſpenſandum, habet actionem ex præcepto legis. Quando non eſt expreſſum aliquod legis præceptum, & talis cauſa, ut teneatur prælatus diſpenſare, appellatio ab illius denegatione habet ſolum effectum deuolutivum. Quia cum nullo jure expreſſo præcipiatur tunc diſpenſatio, caret ſubditus actione. At quia poteſt implorare officium ſuperioris, ut ſibi medeatur, deuoluetur ea cauſa ad ſuperiorem. Qui ſimiliter tenebitur diſpenſare, aut cogere prælatum inferiorem, ut diſpenſet. Demum, quando diſpenſatio non eſt debita, ſed gratuita, appellari non poteſt; at poteſt officium

ſupe-

ſuperioris implorari, ut ex miſericordia diſpenſet. Quæ omnia latiùs *ibi* probaui. Hæc autem ad voti diſpenſationem applicando, cum nullus textus ſit eam in aliquo caſu jubens, dicendum eſt primum appellandi modum ab ejus denegatione non habere locum, ſed ſolos duos ultimos.

11 Ultima difficultas eſt, an voto ligatus teneatur aliquando ejus diſpenſationem, commutationem, aut irritationem petere? Brevi reſpondetur teneri in duplici caſu. Prior eſt, quando vouenti imminet graue, ac proximum transgreſſionis periculum; tunc enim non propria voti obligatione, ſed lege charitatis tenetur ſub mortali conſulere ſuæ ſaluti ſpirituali, ſi aliud ejus periculi euadendi medium non occurrat. Poſterior eſt, quando dubitat, an in hoc, vel in illo caſu ſit culpa exequi rem voto promiſſam, an potiùs ſit culpa non exequi, nec id dubium aliter vincere poteſt, tunc enim, ut ea perplexitate liberetur, tenetur his mediis uti. Dixi autem in priori caſu, id non eſſe ex propria voti obligatione, ideſt, ex peculiari, quam ex ſe votum affert. Nam etiam eſt aliquo modo voti, quatenus omnia præcepta obligant ad vitandum transgreſſionis eorum periculum.

CAPUT XLVII.

Qualiter defecto voluntatis, ob fictum conſenſum, metum, aut dolum, tacendo verum, aut narrando falſum, corruant diſpenſatio, commutatio, & irritatio? Et qua verborum forma hæc indigeant; an ſat ſit nutibus, aut facto explicari?

SUMMARIUM.

Quot quæſtiones diſputandæ ſint? n.1.
Ex quot cauſis poſſit hic defectus voluntatis oriri? n.2.
An quando concedentis diſpenſationem, irritationem, aut commutationem eſt fictus conſenſus, illa valeant? n.3.
An hæc fictio ſit præſumenda? Et eam aſſerenti credendum? numero 4.
Quid, ſi hæc fictio ſit in conſenſu ſubditi in acceptandis diſpenſatione, & irritatione? n.5.
Quid, ſi in acceptanda commutatione? n.6.
An ut hæc conualeſcant, ſatis ſit novus conſenſus internus in ficte conſentiente? n.7.
Quid, ſi hæc metu extorqueantur, aut conſenſus ſubditi? n.8.
Quid, ſi facultas hæc exercendi ſic extorqueatur? n.9.
Quotuplicia ſint tacita in diſpenſatione, aut falsò narrata? numero 10.
Cauſa finalis, & impulſiua, quid ſint in diſpenſationibus? numero 11.
An quando ex ſtylo curiæ, aut ex conſuetudine, eſt aliquid in diſpenſatione narrandum, corruat hoc tacito, aut falso expreſſo? num.12.
Quando in aliis caſibus reddatur diſpenſatio ſubreptitia ex tacita veritate? n.13.
Quando id contingat ex falſa narratione? n.14.
Quod, ſi hæc contingat ex ignorantia impetrantis, aut ex alterius, curialiſve culpa? n.15.
Quid, ſi malitiosè hæc contingant circa ſolam cauſam impulſiuam? num.16.
Quid, ſi unica cauſa allegatur, & eſt tantùm impulſiua? n.17.
Unde dignoſcetur voluntas ſuperioris denegandæ diſpenſationis, irritationis, aut commutationis explicata veritate tacita, aut non narrata falſitate? n.18.
Quid, ſi res ſit dubia, & an cauſa ſit finalis, an impulſiua? Remiſſiuè, n.19.
Quid, quando multiplex narratur cauſa, & una eſt falſa; et ſi petens diſpenſationem voti peregrinationis alleget falſam paupertatem cum alia cauſa? n.20.
An aliqua taciturnitas cauſà reddat nullam irritationem voti? Et quid, ſi taceatur licentia ad vouendum? n.21.
Quid, ſi in ea narretur falſa cauſa? n.22.
An taciturnitas veri reddat commutationem irritam? n.23.
Quid, ſi in ea allegetur falſa? n.24.
An occultato voto ſuperiori, valeant diſpenſatio, commutatio, & irritatio illius? n.25.
Quid, ſi occultatio ſit eò quòd credatur fore, ut ſuperior ſciens nolit? num.26.
Quid, quando data opera occultatur perſona, aut ejus qualitas, aut contraria qualitas falsò exprimitur? n.27.
Quid, ſi falsò exprimatur ſubſtantia voti; ut ſi proponatur votum non ducendæ uxoris, cum ſit caſtitatis, aut Ordinis ſacri? numero 28.
Quid, ſi proponatur votum grauius, cum ſit minus, ut ſi non nubendi ſit, & caſtitatis, aut Ordinis ſacri proponatur, aut ſit religionis, & proponatur perſeuerantiæ; aut ſit peregrinationis Compoſtellanæ, & proponatur Hieroſolymitanæ? numero 29.
Quid, ſi falsò narratum æquiualeat vero, ut ſi narretur votum, cum ſit juramentum, vel è contra? n.30.
Quid, quando utrumque vinculum eſt, & alterum ſolum narratur, etiam altero negato? n.31.
Quid, quando votum, vel juramentum repetitur? n.32.
Quid, quando poſt diſpenſationem denuò emittitur idem votum, & an tunc ſit neceſſe exprimere priorem diſpenſationem? numero 33.
Quid, quando non omnino exprimitur ſubſtantia voti, aut juramenti, ut ſi proponantur, ut dubia, cum ſint certa? n.34.
Quid, ſi proponatur votum religionis, cum ſit perſeuerantiæ? numero 35.
Quid, ſi ſit votum non nubendi in fauorem tertii, & hæc circumſtantia taceatur? n.36.
Quid, ſi taceatur violatio voti, & juramenti? n.37.
Quid, quando nulla diſpenſationis allegatur cauſa; at verè erat? num.38.
An in omnibus his caſibus reddantur diſpenſatio, irritatio, & commutatio omninò irrita, an partim valeant? Remiſſivè, num.39.
An ablato voto principali per irritationem, diſpenſationem, aut commutationem, cenſeatur ablata pœna, & hac non explicata valeant illa, aut explicata pœna, tacendo principalem voti materiam? Remiſſivè, n.40.
An in votorum diſpenſatione, irritatione, & commutatione, ſit habenda aliqua ratio juris poſitivi ſpecialis, aut ſtyli curiæ, aut conſuetudinis alicujus generalis, ad dijudicandum, an hæc ſint irrita, ex veritate tacita, aut falſitate declarata, numero 41.
Poſt n.41. inuenies ſummaria, quæ deſiderantur.

1 CUm omnis actus humanus ad ſui valorem exigat poteſtatem, & voluntatem in exercente, & ex horum numero ſint diſpenſatio, irritatio, & commutatio, & hactenus egerimus de poteſtate exercendi illa, ſupereſt ut de voluntate agamus. Et quia ex eiſdem principiis decidenda eſt quæſtio in tribus his auferendi voti modis, ideò de illis ſimul tractamus. Duplex autem eſt quæſtio tractanda. Prior de defectu voluntatis. Poſterior de forma, quam requirunt.

2 Quæſtio prior. Quando defectu voluntatis, ob conſenſus fictionem, aut metum, aut dolum, corruant diſpenſatio, commutatio, & irritatio? Defectus voluntatis poteſt ex triplici cauſa oriri. Prima eſt, ex fictione conſenſus in ſuperiore diſſoluente votum, aut in ſubdito diſſolutionem acceptante. Secunda eſt, ratione, metus incuſſi ad conſenſum ſuperioris, aut ſubditi extorquendum. Tertia, ratione doli, tacendo verum, aut explicando falſum. De quibus eſt agitanda triplex difficultas.

5 Prima eſt. Quando ratione ficti conſenſus corruant diſpenſatio, irritatio, & commutatio voti. Et quidem quando fictus eſt ſuperioris hæc concedentis conſenſus, res eſt per ſe manifeſta hæc non valere. Quia actus non operantur ultra agentium intentionem, *l. Non omnis, in initio ff. ſi certum petatur.*

4 Non tamen eſt dubitandum de vero ſuperioris conſenſu, quando verba conceſſionis ſunt clara. Non enim eſt præſumendum voluiſſe illum in re tam graui decipere. Quòd ſi ſuum fictum conſenſum ipſemet teſtetur, prudentis arbitrio judicandum eſt, attentis perſonæ, & negotii circumſtantiis, an ei ſit fides habenda. Et ita docet *Suarez tomo 2. de relig. tractatu de voto, lib.6. c.ult. n.2.*

5 Quando autem fictio conſenſus eſt ex parte ſubditi acceptantis, diſpenſatio, & irritatio ſunt irrita. Nam (ut benè ait *Suarez eodem lib.6. cap.1. ad finem.*) ſubditus non acceptans, eo ipſo quaſi confirmat, & emittit idem votum. Prætereà, quia etſi utraque in inuitum fieri poſſe, ſuſtinuerimus *c.24. nu.26.* at regulariter non eſt ea ſuperioris intentio. Quando autem vellet ea in ſubditum inuitum exercere, valerent utique, quamuis ſubditur omnino repugnaret, nedum quando fictè conſentiret. At ut hæc haberent effectum, opus eſſet ſuperiorem, uti cautela, quam tradidimus *eodem n.26.*

6 Si de commutatione loquamur, poteſt fictio hæc dupliciter contingere. Priori modo, quando ſubditus verè acceptat commutationem, cum animo tamen materiæ ſubrogatæ non exequendæ, & tunc valet utique commutatio, & tenetur vouens mutato animo illam exequi, niſi eligat ad votum prius redire. Sicut contingit in voto ſimili fictione emiſſo; quod quidem obligat ad ſui executionem. Poſteriori modo, quando fictè acceptauit commutationem, minimè intendens ad materiam ſubrogatam obligari. Et tunc eſt irrita commutatio, & manet prius voti vinculum. Quia cum idem voti vinculum transferatur in materiam ſubrogatam, nec votum obligare valeat abſque conſenſu vouentis, nequit materia illa per commutationem ſubrogata obligare voti vinculo ſubditum fictè acceptantem; atque adeò commutatio cadit.

7 Ut tamen convaleſcant diſpenſatio, commutatio, & & irritatio, ratione ficti inter conſenſus irrita, ſive fictio ſit in ſuperiore, ſive in ſubdito, ſatis eſt, ut fictè conſentiens poſteà quantocumque tempore tranſacto, dum alter conſenſum non revocavit, conſenſum internum præſtet. Quia ille eſt legitimus ex parte alterius, & illa conſenſus fictio alterum latet. Sicut quando matrimonium carnale eſt irritum defectu veri conſenſus alterutrius conjugis, inter perſonas habiles, id convaleſcit accedente poſtea vero alterius conſenſu, etſi interno. Ut probaui *lib.2. de matr. diſp.32.n.9.* & idem in matrimonio ſpirituali per profeſſionem probaui

l.7.

.7. de matrim. diſp.37. n.60. Atque dicendum eſt, ſi utriuſque conſenſus eſſet fictus. Cum enim externè ſit validus, & ſolus conſenſus internus deſideretur, eo accedente nihil ad valorem deeſt.

8 Secunda difficultas eſt. Quando ratione metus tollatur voluntas ſuperioris requiſita ad horum valorem? Et quidem quamuis metu cadente in virum conſtantem extorta ſint à ſuperiore, diſpenſatio, commutatio, & irritatio, valent utique, ſi ſuperior non fictè conſenſit, & adfuit in diſpenſatione cauſa ad ejus valorem requiſita. Quod de diſpenſatione loquens, tenet *Suarez tomo 2. de voto lib.6. c.ult. n.17. & 18.* Et ratio eſt, quia contractus ſimili metu geſtos valere, probaui ex multis, *lib.4. de matrim. diſp.8. n.4.* Atque omnia metu geſta, exceptis paucis, quæ excipit *Gloſſa c.2. verb. Coactus de iis, quæ vi,* valida eſſe teſtatur *Gloſſa cum communi ibi.* Nec hæc clauduntur in caſibus *ibi* exceptis; quamuis enim excipiatur *ibi* juriſdictionis translatio metu extorta; at in hoc caſu nulla juriſdictio transfertur, ſed ſolus illius uſus metu extorquetur. Prætereà, quia cum voluntas metu coacta ſit verè voluntas, *l. Si mulier, §. Si metu coactus el 2. ff. quòd metus*, geſta metu non ſunt in jure naturæ irrita. Nec datur jus poſitivum hæc metu extorta irritans. Nam textus *c. unico, de his, quæ vi, in 6.* ſolam abſolutionem à cenſura metu extortam irritat: quæ irritatio tamquam odioſa non eſt extendenda ad alios caſus jure non exceptos. Quòd ſi conſenſus ſubditi ſit is, qui metu quantumvis gravi extorquetur, ſi verè conſentiat, valebunt irritatio, diſpenſatio. Quia re vera adfuit voluntas acceptandi, nec acceptatio hæc jure aliquo redditur irrita. At commutatio erit irrita, juxta communiorem, ac veriorem ſententiam, quam amplexi ſumus *hoc libro 4. capit. 3.* dicentem votum metu graui extortum eſſe irritum. Nam per commutationem illam acceptatur, & emittitur votum circa materiam ſubrogatam.

9 Quòd ſi delegatio poteſtatis commutandi, aut diſpenſandi, metu gravi extorqueatur, quamvis multi negent eam valere, dicentes in genere juriſdictionem, ſic extortam eſſe irritam; per *l.2. in initio, ff. de judiciis*, quos retuli *libro 3. de matrim. diſput. 39. num. 13.* At *ibi* cum aliis probaui valere. Quia textus ille loquitur in caſu ſpeciali, cum litigantes compelluntur conſentire in judicem non ſuum, & ita prorogare ejus juriſdictionem, quæ prorogari nequit abſque libero eorum conſenſu. Quare cum ſit caſus ſpecialis exceptus è regula generali tradente geſta metu valere, non eſt extendendus ad alios caſus. Et clariùs hoc procedit in delegatione poteſtatis irritandi, quia non delegatur juriſdictio aliqua, cum irritare non ſit actus juriſdictionis.

10 Ultima difficultas eſt. Quando deficiat voluntas in ſuperiore, ratione doli, tacendo ei verum, aut exprimendo falſum, & ſic corruant diſpenſatio, commutatio, irritatio? De hac re latiſſimè egi *lib.8. de matrim. tota diſp.21.* & ita non multùm immorabor, ſed brevi proponam triplicem regulam, ac caſus ſpeciales explicabo ad præſentem tractatum ſpectantes, & *illic* licebit videre latiùs. Et primò eſt præmittendum, qualitates in diſpenſatione tacitas, aut falsò expreſſas eſſe in duplici differentia. Quædam ſunt diſpenſationi intrinſecæ; quæ nimirum pertinent ad prudentem illius uſum, ejusve finem, atque ita prudentem, & rationabilem cum materia voti, & diſpenſationis connexionem habent: & ideò inde moueri prælatum ad diſpenſandum, vel removeri, eſt conforme juri, ac ex cauſa juſta, & debita procedit concedens, aut denegans. Aliæ autem ſunt extrinſecæ, & de ſe impertinentes ad voti diſpenſationem, atque ideò ex illis minùs prudenter, & indebitè, duceretur ſuperior ad concedendam diſpenſationem, illamve denegandam, ex affectu, aut alia cauſa non conſiderabili ad diſpenſationem.

11 Secundò eſt præmittendum, cauſam in diſpenſationibus tacitam, vel falsò expreſſam aliam eſſe finalem, & aliam impulſivam. Et quamvis quo ad alios effectus ſit graviſſima controverſia, qualis dicatur cauſa finalis, & qualis impulſiva; at in diſpenſationibus communis ſententia habet, ut probaui ex multis, *libro octavo de matrim. diſputat. 21. num.8.* cauſam finalem dici, qua non exiſtente Prælatus gratiam minimè conceſſiſſet, vel qua ei ſignificata denegaſſet, aut ſaltem non eo pacto concederet, quo conceſſit, ſed moderationibus quibuſdam adhibitis. Impulſiva autem dicitur, quæ falsò expreſſa principem mouet ad faciliùs concedenda petita, vel ſi vera eſt, & ea non taceretur, concederet difficiliùs; at re vera prorſus eodem modo concederet gratiam in utroque eventu. Quare optimè ait *Suarez tomo 2. de religione, tractatu de voto, lib. 6. cap. ultimo, numero nono*, cauſam finalem eſſe, quæ fundat diſpenſationem, eſtque propria illius cauſa, & ratio; impulſivam autem non eſſe propriè, & ſimpliciter cauſam diſpenſationis, ſed potiùs ſe tenere ex parte diſpenſantis, quatenus voluntatem ejus ad diſpenſandum applicat.

12 His ergo præmiſſis eſt triplex regula aſſignanda. Prima regula eſt. Quando ex ipſo jure poſitivo, aut ſtylo curiæ, aut ex conſuetudine eſt aliquid in diſpenſationis impetratione exprimendum, taciturnitas illius, aut falſa ejus exceptio reddunt ſubreptitiam, & irritam diſpenſationem. Quod docet *Suarez eo c. ultimo, n.5.* & latè probavi *libro 8. de matrimonio diſputat. 21. à numero 15.* ubi probavi id verum eſſe, quamvis id ignoranter tacitum fuerit, aut falsò expreſſum; & quamvis conſtaret veritate cognita eſſe eodem prorſus modo gratiam concedendam. Quia tamquam formam exigunt jura ejus rei expreſſionem, quare ea deficiente corruit actus.

13 Secunda regula. Quando nec jus, nec ſtylus curiæ, nec conſuetudo ſpecialiter præſcribunt aliquid in diſpenſatione exprimendum, tunc ex veritatis taciturnitate redditur ſubreptitia, & irrita diſpenſatio, quando ea veritas tacita eſt circa qualitates intrinſecas diſpenſationi, & illis expreſſis prælatus non concederet diſpenſationem, aut non eodem modo, quo conceſſit, ſed cum quibuſdam moderationibus. Secùs autem, quando eodem prorſus modo concederet, etſi difficiliùs; ſecùs etiamſi ſit circa qualitates diſpenſationi extrinſecas, tunc enim valebit utique diſpenſatio, etſi conſtet ſuperiorem eis cognitis negaturum utique diſpenſationem. Hanc multis relatis probavi *eadem diſput.21. num. 17. 18. & 32.* ubi multos retuli, & tenet ultra *ibi* relatos, *Suarez eod. cap. ultimo à num.11. uſque ad 16.* Et rationem expreſsè explicat *Suarez num.15. & 16.* Quia in priori eventu voluntas ſuperioris diſpenſantis includit virtute eam conditionem, *ſi ita eſt, & nil falsò additur, aut callidè occultatur, quòd intentioni meæ repugnet.* Quod inde probatur, quia ea interpretatio eſt juſta, & rationabilis, & licèt tempore diſpenſationi non habuerit ſuperior actu eam intentionem, ſed ſolùm ſit quaſi habitu, & tunc abſolutam diſpenſandi voluntatem habeat; at re vera non cenſetur retractaſſe priorem voluntatem, cum jus habeat utendi ſua poteſtate ſecundùm rationabilem ſuam voluntatem, & ſuum dictamen, & non ab alio circumventus, & reductus; & ideò habet hic locum *ea regula, In generali, de regulis juris, in ſexto.* In generali conceſſione non veniunt, quæ propoſita in ſpecie non eſſet aliquis conceſſurus. At in poſteriori caſu voluntas illa habitualis denegandæ diſpenſationis, qualitate ea cognita, non aufert præſentem voluntatem, nec ponit illam conditionem, *ſi ita eſt, aut nihil occultatur.* Quia voluntas præſens eſt interpretanda ſecundùm rectam rationem, & ſecundùm jura; & quoties aliquis rectè, & honeſtè vult, cenſetur retractare priorem rationi diſſonum affectum potiùs, quàm ſecundùm illum agere.

14 Ultima regula eſt ſimilis omnino præcedenti. Non omnis expreſſio falſitatis reddit diſpenſationem ſubreptitiam, ſed quando nec jus particulariter, nec ſtylus curiæ, nec conſuetudo aliquid exprimi tradunt, tunc eſt ſubreptitia, quando falſitas expreſſa eſt talis, ut ſit circa qualitates intrinſecas diſpenſationi, atque ea ſublata non eſſet illam conceſſurus, aut non eodem modo; ſecùs quando eodem modo conceſſurus erat; aut non erat circa qualitates intrinſecas, ſed circa extrinſecas, & impertinentes, quamvis verè ſuperior non concederet gratiam ea falſitate non expreſſa. Hæc regula probatur eiſdem rationibus, quibus præcedens. Quia in omni veritatis taciturnitate includitur falſi expreſſio, & ſi non expreſsè, eſt tamen tacitè. Inſuper utraque regula probatur, quia ſola taciturnitas veri, aut falſi expreſſio circa finalem diſpenſationis cauſam vitiat diſpenſationem. At cum finalis cauſa ſit, quæ fundat diſpenſationem, eſtque legitima ejus cauſa (ut diximus *num. 11.*) non poteſt talis dici, quæ eſt extrinſeca, & impertinens. Ergo taciturnitas veri circa illam, aut expreſſio falſi non reddit irritam diſpenſationem. Atque utraque regula conſtabit ex exemplis particularibus diſcutiendis ſtatim. Et eam ex multis probaui contra alios *eadem diſputatione 21. num.32. juncto num.18.* Et ultra *ibi* relatos tenet *Suarez eod. cap. ult.* in eiſdem locis citatis *n. præc.*

15 Nec refert ad diſpenſationis valorem, ſiue ignorantia inculpabili, ſiue curialis, aut alterius malitia, contingerit ea taciturnitas veri, aut falſi expreſſio circa eas intrinſecas diſpenſationis qualitates, quibus verè declaratis non concederetur, aut non eodem modo; ſemper enim corruit diſpenſatio illa. Et ratio eſt, quia in valore gratiæ conſiderando non ſpectatur impetrantis culpa, aut ſimplicitas, ſed voluntas concedentis, à qua vires ſumit gratiam. Ergo quando concedens expreſſa veritate, aut non propoſita falſitate nullatenus concederet, corruet omninò conceſſio defectu voluntatis concedentis, quantumvis impetrans fuerit culpæ immunis. Atque ita latiùs aliis relatis probavi *libr. 8. de matrimonio, diſputatione vigeſimaprima, num. 56. 57. & 73.*

16 E contra autem, quantumvis malitiosè taceatur veritas, aut exprimatur falſitas, circa cauſam impulſiuam, nimirum, quando ea vera expreſſa concederetur eodem modo diſpenſatio, quamvis difficiliùs, aut prudenter non denegaretur, quia contingit circa qualitates extrinſecas, & impertinentes, valebit diſpenſatio exiſtente alia cauſa. Quia tunc non deficit voluntas concedentis, ut explicui *n.13.* cujus ſolus defectus poſſet vitiare gratiam. Atque ita contra alios probaui *ead. diſp.21. n.74.*

17 Conſultò autem dixi, exiſtente alia cauſa juſta. Quia ſi unica ſola exprimatur cauſa, & illa ſit falſa, qualiscumque ſit illa, corruet diſpenſatio. Ratio eſt, quia tunc Prælatus non vult niſi ex ea cauſa diſpenſare: ergo illa exiſtente falſa, corruet diſpenſatio defectu voluntatis concedentis. Atque ita probaui *eadem diſputatione vigeſimaprima, num. 41.* quamvis ex ignorantia, & ſimplicitate contingat falſitas.

18 Quòd